

tanquam architectos sive municipes adverse civitatis, que contraria est civitati Dei viventis, Ierusalem cęlestis; videlicet ^{d)} ante diluvium dicendo: *Et ędificavit Cain civitatem quam vocavit ex nomine filii sui Enoch* ^{e)} ¹⁾, et post diluvium dicendo: *Nemroth cępit esse potens in terra; fuit autem principium regni eius Babylon. De terra illa egressus est Assur et ędificavit civitatem Niniven et plateas civitatis* ²⁾; et ob eiusmodi potentias hunc mundum dictum esse a Domino *atrium fortis armati* ³⁾. Eadem namque potentia, qua ille Nemroth ^{f)} cępit esse potens in terra ⁴⁾ et propter quam dictus est in proverbio *robustus venator coram Domino* ⁴⁾, cęperunt et iussa ^{g)} sunt idola pro Deo coli quasi ob decorem et ^{h)} munimen civitatis, maximeque ab initio pro memoria magnifici eorum nominis, quemadmodum scriptura libri ⁱ⁾ Sapientię dicit: *Acerbo inquit luctu dolens pater cito sibi rapti filii fecit imaginem et illum, qui tunc* ^{k)} *quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam deum colere cępit et constituit inter servos suos sacra et sacrificia. Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est et tyrannorum imperio colebantur figmenta* ⁵⁾. Nimirum ea causa fuit, per quam mundus iste talis effectus ^{l)} est, ut merito diceretur *atrium fortis armati* ³⁾, dum is ^{m)} qui in mundo nichil iure habere debuit, diabolus per idolatriam in patrocinium tyrannidis ascitus est ab amatoribus mundi, qui in mundo properabant tyrannizari; qualium primus supradictus Nemroth extitit, secundum nomen suum tyrannus; *Nemroth* quippe *tyrannus vel profugus sive transgressor* interpretatur ⁶⁾. Sciendum vero quia cum dicitur *atrium fortis armati* ³⁾, domus quoque eiusdem cum atrio debet subintelligi. Atrium quippe dictum amplissimę ⁿ⁾ domus primus ingressus, ubi sibi ^{o)} arbitri habitantes propter expellendum frigus focos facere noscebantur, et ab atri fumi nebulosissimo globo apellata atria quasi atra tradit antiquitas. Et que est domus eius ^{p)} nisi infernus? Ergo civitates terreni fundamenti, qualium in maximis vel notissimis ^{q)} tyrannizavit rex Nemroth et semetipsum direxerit ^{r)} Assur, dum idola prostituunt et nebulosissimum ^{s)} glomerant fumum sacrificiorum, recte dicuntur et sunt atria teterrima domus nimis ample ^{t)}, scilicet inferni, cum sint atria

^{d)} videl. *bis Ende c. 11 fehlt J* ^{e)} Enach A; Henoch Vulg.. ^{f)} Nemroht B (*meistens*) ^{g)} visa B ^{h)} et *fehlt (A)M* ⁱ⁾ libris B ^{k)} nunc M
^{l)} effecius M ^{m)} his B ⁿ⁾ amplissimę B ^{o)} siti B ^{p)} illius AM
^{q)} novissimis B ^{r)} direxit B ^{s)} nebulosisissimum B ^{t)} ample nimis B

¹⁾ Gen. 4, 17 ²⁾ Gen. 10, 8. 10—11 ³⁾ Luc. 11, 21 ⁴⁾ Gen. 10, 9
⁵⁾ Sap. 14, 15 ⁶⁾ Hieronymus, *Liber interpretationis hebraicorum nominum*, Corp. Christ. lat. 72 (1959) 69